

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 765

**Auteur(s) :** Guillaume le Roux, du Quesnay [particulier]

**Bénéficiaire(s) :** Le Tréport, Saint-Michel (abbaye)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1260, septembre

**Action juridique :** vente

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Vente à l'abbaye d'une rente de cinq sous tournois, par Guillaume, dit le Roux, du Quesnay

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Laffleur de Kermaingant Pierre, *Cartulaire de l'abbaye de Saint-Michel du Tréport (ordre de Saint-Benoît)*, Paris, Didot, 1880, n° CCVIII, p. 234-235.

Texte établi d'après a

Notum sit omnibus, presentibus et futuris, quod ego Willelmus, dictus Ruffus de Kesneto, vendidi et concessi dominis meis, abbati et conventui de Ulteriori Portu, quinque solidos turonensium annui redditus, super totum tenementum meum quod de ipsis teneo apud Kesnetum, ad campum et ad villam, videlicet super unam masuram meam sitam inter masuram Mathei de Mara et masuram Hugonis, fratris mei, dicti Ruffi, et super unum campum cujus lateri aboutat predicta masura mea et qui adjacet, ex uno sui latere, ad campum Dyonisii Malchevalier, et aboutat, ex uno sui termino, ad terram Johannis Anglici et, ex alio, ad campum predicti Mathei de Mara, et super unum campum meum qui adjacet, ex uno sui latere, ad terram Johannis Vavassoris et, ex alio, ad queminum quod ducit de Kesneto apud Heudelimont, et aboutat, ex uno sui termino, ad campum qui fuit quondam Milonis Wigot et, ex alio, ad terram que fuit Rogeri le Messier, pro XLa. tribus solidis, VI denariis turonensium michi pre manibus solutis ; tenendos et habendos predictos quinque solidos annui redditus dictis abbati et conventui, et successoribus eorum, et de me et de meis heredibus eisdem abbati et conventui, et successoribus eorum, annuatim ad Pascha Domini persolvendos libere, quiete et pacifice, sine reclamacione de me et heredibus meis de cetero facienda. Hanc autem vendicionem et concessionem ego, predictus Willelmus, et mei heredes, dictis abbati et conventui, et successoribus eorum, contra omnes tenemur garantizare, et de dote et omnibus rebus aliis, per obligationem omnium bonorum nostrorum mobilium et immobilium, ubicunque fuerint, deliberare. Et si predicti quinque solidi ad predictum terminum non fuerint redditus, dictus abbas et conventus, et successores eorum, poterunt predictum tenementum nenmiare pro redditu et pro emenda. In cujus rei testimonium, presenti carte sigillum meum aposui. Testibus hiis : domino Ricardo de Gouvevilla, milite, domino Roberto, presbitero de Horneio, domino Eustachio, tunc capellano Sancti Jacobi de Ulteriori Portu, Roberto de Bras et pluribus aliis. Actum anno Domini M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. LX<sup>o</sup>, mense septembris.